


~~P. 17. 12.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-50.

SIGNAT. c1oLbCCCXIII.





I. N. J.
DISPUTATIO ANTI-MACCOVIANA,
QUAE EST PRIOR
De

Prædestinatione,

QVAM
In Illustri Electorali, quæ VVITEBERGÆ
est, Academiâ,
PRAESIDE

*Viro Admodum Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo,*

DN. JOHANNNE Deutschmann/

S.S. Theol. Licent. ejusdemq; P.P. Extraordin.
Facult. Philosoph. Adjunct. digniss.

Dn. Præceptore, Patrono, Hospite, studiorumq; suorum,
Promotore Optimo, Maximo,

publica sententiarum collationi subjecis

RESPONDENS

JOACHIMUS ERYTHRÆUS, Belâ-Hungarus

S.S. Theol. & Phil. Cult.

In Auditorio Majori ad diem Aug.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ, JOHANNIS HAKEN,
M. DC. LII.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and the texture of the paper.





Eximio ac Prestantissimo

DN. RESPONDENTI.

Non ratio, solum vox omnipotentis IOV AE,
Quam clarè sistit pagina sacra, docet,
Quid miseris donet Dominus, vel quomodo ab evo
Vita inscripta sient nomina nostra libro!
Quis mentem novit Domini, nisi Spiritus Ipse!
Hunc ERYTHRAE E sequi pergito, certus eris.

Abraham Calovius, SS. Th. D.

P.P. Eccles. Witteberg. Past. Con-
sist. Adsess. & Elector. Saxon. Sus-
perint. General.

ARdua res nimis est in Christo Electio nostra,
Absconditum mysterium!
Summus ab æterno vitæ nos Arbiter olim
Elegit in sanctissimo.
Consilium arcanum tantum scriptura revelat
Ductu sacrati Spiritus.
Lex connata nihil tradit, positiva tacere
Jubetur hoc in abdito:
Nec valet hic quicquam cæcæ rationis acumen,
Aut ulla curiositas:
E verbo discenda Dei secreta JHOVÆ,
Quid nostra destinatio?

Signa

Signaq; Decreti quæ sint, sacra pagina monstrat;

Basisque Christi passio.

Talia non dicit Calvinicalva caterva,

Quæ mentis arte nititur:

Nulla fides, meritum nullum, non ordo Jehovæ

Electionis ejus est.

Monstrat ERYTHRÆUS fraudes, & bella Jehovæ

Christi movet pro sanguine.

Quæ sint Maccovio stratagemata vana reformans

Dissolvit arte Spiritus.

Perge! dabis fructus magnos, Ecclesia Christi

Probabit in Pannoniâ!

Per Eximio atq; Præstantissimo Dn: Respon-
denti, Amico suo honorando s.

PRÆSES.

STulta mihi semper visa est Sapiëntia, Numen

Dicere non omnes velle salute frui:

Et gaudere malis, & malle perire creatos

Supremum; visa est impietasque mihi:

Cum tamen impellat, veniant vocet, undique servos

Emittat, culpæ te vacuumque probet.

Invertant alii ratione suâ vel sensa Polarchæ;

Litera me Summi dante beabit ope.

Ista pio mecum conamine vera videri

Cùm cupias, sacro codice, AMICE probes!

Et stultescentis monstres glaucomata sanctè

MaccovI, merito te super astra fero.

Incrementa DEUS concedat & ausibus, olim

Sentiat hostilis pars tua tela, precor!

Ita

Palladium Calvinisticum destruenti

AMICO gratulatur

Adam Sellius, Francof.

Philosoph. Stud.





IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE PRÆDESTINATIONE.

Anteloquium.

ARduum est *Prædestinationis* mysterium, & magnū pietatis Sacramentum. Ipse Deus, isq; solus, in verbo suo salutarem de *Prædestinatione* doctrinā proposuit, & per Filium Unigenitum, ejusque præcursores Prophetas, & successores Apostolos eandem nobis exposuit. De sacratissimo *Prædestinationis* Articulo nihil lex nature, nihil positiva lex quarumvis gentium præscribit. Natura rerum naturalium ordines sistit, in supernaturalia Dei Mysteria nullum sibi judicium sumit. Leges aliarum gentium nihil de *Prædestinatione* producere potuerunt, cum *prædestinationis* arcanum Ecclesiæ soli sit proprium. Ratio nostra, quæ in aliis objectis recta vocatur, hic non immeritò cæca nuncupatur. Philosophia tota suam hic fateri tenetur ignorantiam, cum *prædestinationis* Doctrina pertineat solum ad mysticam Dei sapientiam. Verissima siquidem sunt *Christiana Concord.* verba p. 618. 619. De nostra *Electio* ad vitam æternam, neq; ex rationis nostre judicio, neq; ex lege Dei judicandum est: ne vel dissolutæ & Epicureæ vitæ nos iradamus, vel in desperationem incidamus. Qui n. rationis suæ judicium in hoc negotio sequuntur, in horum cordibus hæ perniciose cogitationes (quibus ægerrimè resistere possunt,) excitantur: Si (inquiunt) Deus me ad æternam salutem elegit, non potero damnari, quicquid etiã designa vero. Contra v. si non sum electus ad vitam æternam, nihil plane mihi profuerit, quantumcunq; boni fecero: omnes n. mei conatus irriti erunt. Vera igitur sententia de *Prædestinatione* ex E-

A

vange-

Evangelio Christi discenda est. In eo n. perspicue docetur, quod Deus omnes sub incredulitatem conclusit, ut omnium misereatur: & quod nolit quenquam perire, sed potius ut omnes convertantur, & in Christum credant. Qui igitur voluntatem Dei revelatam inquirunt, eoq; ordine progrediuntur, quem D. Paulus in Epistola ad Romanos secutus est (qui hominem prius deducit ad poenitentiam, ad agnitionem peccatorum, ad fidem in Christum, ad obedientiam mandatorum Dei, quam de aeterna predestinationis mysterio loquatur) iis doctrina de Predestinatione Dei salutaris est, & maximam consolationem affert. Hujus consolationis ut reddamur participes, ideo Symboli nostri consilium observabimus, & ex Evangelii doctrina Mysterium Predestinationis, quoad certa quedam capita explicabimus. Cum a. Calvinianae gentis proceres hanc salutarem, de Predestinatione, doctrinam in plerisque capitibus oppugnet, ideo impraesentiarum potissimum celebrem Franekeranae Academiae Professore, D. Johannem Maccovium in Theolog. Polem. cap. 7. p. 42. seq. orthodoxiam nostram impugnantem, & heterodoxias Reformatorum propugnantem assumere, ejusq; opposita Quaequam retexere placet. Adsit his studiis, per & propter Christum, gratio suo Spiritu, Deus benedictus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, & elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, praesentemq; laborem in nominis sui gloriam, & veritatis salutiferam notitiam clementissimè dirigat!

1. *Predestinatio*, juxta Compendium regionum nostrarum publicum, est voluntatis divinae propositum & decretum ab aeterno factum, quo Deus ex mera misericordia in Christo ad vitam aeternam elegit, & salvare constituit eos omnes, qui in Christum verè credunt, & in ea fide ad finem usq; perseverant: reliquis omnibus propter finalem incredulitatem aeternae damnationi adjudicatis. Haec scripturae doctrina Eph. I. 3. seq. I I. Thess. I. 13. I I. Tim. I. 9. Hebr. I II. 14. Jac. II. 5. Apoc. II. 10. &c. nostraeq; doctrinae forma. Hanc orthodoxiam ut alii Reformatorum oppugnant, ita D. Johannes Maccovius in Theol. Polem. cap. 7. eandem impugnare conatur.

2. *Omnis a. Tractatio Maccoviana ad quinque potissimum*
Quaestio.

Quæstionum capita revocatur. I. *An Prædestinatio sit diversum quid à DEO?* II. *An Christus sit causa meritoria Electionis?* III. *An singulares personæ eligantur?* IV. *An ex fide prævisa eligamur?* V. *An Electi totaliter deficere possint?* Has quæstiones ordine producit, & quid de singulis juxta *Reformatam Theologiam*, sit habendum, more suo proponit. Nos quid de singulis sit vel retinendum, vel rejiciendum, juxta scripturæ normam observabimus.

3. Quæstione prima *Prædestinationis* naturam quodammodo evolvere, eaq; reliquis, instar principii, supponere voluit. Quærit n. *An Prædestinatio sit diversum quid à DEO?* Hæc quæstio primo intuitu nihil incommodi, vel damni secum habere videtur, verum juxta *Maccovianam* methodum & sententiam fundamentum fit omnis heterodoxias adversariorum, & omnium quæstionum sequentium. Nam si prædestinatio ita simpliciter nihil diversum à DEO adstruitur, sequitur, quod prædestinatio sit absoluta, quod omnibus decretis aliis sit præmittenda, quod nullum respectum inferat ad homines, vel ad certum hominum statum: imò sequitur, quod Christus nõ sit causa meritoria Electionis, quod nullus hominum ex fide prævisa eligatur, quod absolutè singulares personæ eligantur, & quod absolutè electi totaliter deficere non possint. Compèdio igitur prædestinationis suæ Causã agere, & hac una vel decisione, vel assertionem cõtroverfias plerasq; definire potuisset.

4. Est igitur quæstio hæc (1) *Captiosa*, quia verbis generalibus, imò æquivocis est involuta. Nam *Prædestinatio* sumitur vel *active*, ut est *in Deo*, internumq; Dei decretum, vel *passive*, ut est *à Deo*, quatenus homines à Deo prædestinantur. Posteriori certè respectu Prædestinatio non est ipse Deus, sed actio, vel effectus Dei: & sicut *Creatio*, *Conservatio*, aliaq; Dei actiones, si respectum ad creaturas inferant, & *ad extra* terminentur, non sunt ipse Deus, ita idem de prædestinatione dicendum. Deinde *diversum* etiam multiplex datur, h. l. saltem diversitatem *essentialem* & *formalem* adducimus. Omnia, quæ sunt in Deo *essentialiter*, sunt ipse Deus, cum Dei essentia sit simplicissima, nullius compositionis vel indiga, vel cupida:

▲ 3

neque

neque tamen inde sequitur, quod omnia *formaliter* sint ipsa DEI essentia, cum attributa DEI *formaliter* inter sese, & ab ipsa essentia divina distingvantur, multò magis de decretis, vel operationibus hoc erit certum, quale vel decretum, vel operatio dicitur *Prædestinatio*, siquidem decreta, vel operationes attributa non præcedunt, sed ordine sequuntur. Esse, deniq; Deum vel dicitur *formaliter*, vel *eminenter*. *Formaliter* sunt ipse Deus, quæ simpliciter ad ipsam eius essentiam pertinent, qua Deus est, nullumq; respectum *ad extra*, vel ad creaturas, sed omnem respectum *ad intra*, vel ad ipsam essentiam divinam inferunt: *Eminenter* v. sunt ipse Deus, quæ licet in se respectum *ad extra*, vel ad creaturas importent, imò quoad perfectum suum actum, vel statum, ipsas creaturas includant, tamen propter summam essentia divinae dignitatem & eminentiam sunt in DEO, non per externam creaturarum ad essentiam divinam relationem, sed per internam, ipsi divinae essentiae consentaneam, identificationem. Prædestinatio igitur non priori modo, sed posteriori tantum, Deus ipse dicitur, quia non est vel ipsa essentia divina, vel attributum Dei, sed est decretum, vel actio respectum ad extra involvens: ideo *consequenter* & *eminenter*, non *simpliciter* & *formaliter* DEUS ipse dicitur.

5. (2) Est quæstio *subdola*, quia D. Maccovius aliud quasi agendo, & nihil tale promittendo, vel proponendo, fundamentum totius heterodoxiae *Reformatae* in hac quæstione captiosâ præmittere, & sub specioso veritatis fucate schemate rudiorum animis immittere voluit. Nam si Prædestinatio nihil diversum est à Deo, sequitur (1) quod primum & summum sit prædestinationis decretum, quod immediate vel Deus ipse sit, vel essentia divina proximum. (2) quod sit absolutum decretum & ab omni respectu, vel ordine formali, seu intrinseco, penitus alienum. (3) imò quod absolutissimum hoc decretum non tantum sit *cor* & *Palladium doctrinae Reformatorum*, juxta Syn. *Dordr. in Act. p. 212.* sed etiam sit *cor* ipsius Dei, cum nihil aliud sit, quam ipse Deus. Porro sequitur (4) quod prædestinatio sit *summa* & *prima rerum causa*, primus & summus rerum
ortus,

ortus, quia nihil diversum est ab ipso Deo. [5] quod decre-
tum prædestinationis sit omnibus decretis præferendum, reli-
qua omnia eidem sint postponenda, quia ipsum Deum, nihil-
que diversum ab eo infert: (6) quod nullum respectum inferat
ad homines, vel ad certum hominum statum, sive integrum,
sive corruptum, sive restitutum, sed in se sit gloriæ divinæ manife-
standæ absolutum decretum, quod consequenter tantum alia
de se pariat, quæ circa media versentur. Hæc & alia incautio-
ribus & rudioribus facillime instillari possunt, si primum hoc
principium ita simpliciter imbiberint, *Prædestinatio nihil est
diversum à D. E. O.*

6. Præterea *D. Maccodivæ* arguti disputatoris stratagemata non negligit, quando *Σύνηγο* præsens reliquis de prædestina-
tione sequentibus thesibus instar munimenti, vel fundamenti
premittit. Nam hoc in sensu *R. formato* vel evicto apud sibi si-
miles, vel supposito apud incautiores, facilis in reliquis labor
est. Nam si prædestinatio nihil est diversum à Deo, certe sequi-
tur [1] quod *Christus non sit causa meritoria electionis*, quia Deus
nullam habet causam, multo minus causam meritoriam ad-
mittit: Prædestinatio a. nihil diversum est à Deo: Ergo neq;
prædestinatio causam meritoriam agnoscere poterit. (2) *Quod
singulares persone eligantur absolute*, quia Deus absolute liber-
rimum Ens est, & pro lubitu singulares personas absolute eli-
gere, singulares personas absolute reprobare potuit. [3] *Quod
ex fide prævisa nemo eligatur*, quia Deus, absolutumq; Dei de-
cretum, quod nihil à Deo diversum, ad creaturarum condi-
tionem, vel hominum fidem non respiciunt. (4) *Quod Ele-
cti totaliter deficere non possint*, quia Deus absolute illos elegit
prædestinatione tali, quæ sit ipse Deus, adeoq; sicut Deus im-
mutabilis, ita status ille Electorum totaliter sine defectu per-
manet. Sed clarius posito, & rectius exposito themate præ-
senti, reliqua facile corruunt, sicut ex *th. 4.* elucescit.

7. (3) Est quæstio *Sacris Literis inusitata*. Nullibi S. Scriptu-
ra proponit hanc quæstionem, *An prædestinatio sit diversum
quid à Deo? vel An prædestinatio sit ipse Deus?* multo minus hoc
ullibi asserit, quod *Prædestinatio nihil sit diversum à Deo*. Scri-
ptura



ptura non uno in loco verbum activum *προορίζω* adhibet, Deum ipsum vocat *προοριστὰς*, & Electos vocat *προορισθέντες*, ut patet ex Eph. I. 5. n. & aliis locis. Prædestinationem igitur actionem Dei constituit, Deum ipsum esse totidem verbis non asserit. Unde nec ullum scripturæ dictum *Maccovius* hoc loco ad quæstionis hujus confirmationem producere potuit. Certum a. est, *Reformatos* sæpius hæc nobis objicere, Nos loquimur cum scriptura, Nos verba scripturæ retinemus. Cur igitur *Maccovius* h. l. idem non observavit. *Turpe est censori, cum culpa redarguit ipsum!* Verum observandum est *Reformatum*, *Maccovii* artificium, nim. quoties sub verbis scripturæ male detortis refugium suis erroribus promittere videntur, toties scripturam, scripturæ verba, urgent: at quando ex aliis quæstionibus, in scriptura non expositis, erroribus suis atrocium, ad minimum coram rudioribus, expectare possunt, facile scripturæ verborum obliviscuntur. Præterea neq; *Reformati*, quoties vel de voce prædestinationis, vel etiam de natura ejus disserunt, nullam hujus acceptionis vocis *Prædestinationis*, vel etiam hujus quæstionis mentionem faciunt, sicut ex libellis Methodicis & systematicis ipsorum est manifestum.

8. Quamvis a. hæc quæstio sit captiosa, sit dolosa, & ad heterodoxias Calvinianas obtinendas videatur *Maccovio* accommodata, & in S. L. non sit adhibita, non tamen in fano sensu intellectam, & legitimo usu adhibitam rejicimus. Dist. igitur inter sensum & usum *Maccovianum*, & inter sensum & usum orthodoxum: illum improbamus, quia quoad sensum absolutum decretum fovet, & quoad usum plerasque hypotheses & opiniones erroneas profert; hunc approbamus, quia certum est, quod prædestinatio sit ordinatum Dei decretum, & eminenter in Deo nihil aliud, quam ipse Deus.

9. Tractationem hujus quæstionis, à *D. Maccovio* institutam, quod concernit, illa tum responsionem, tum objectionum resolutionem complectitur. Quæstio ipsa: *An Prædestinatio sit diversum quid à Deo?* Resp. Neg. Quia nihil in Deo est, nisi Deus. Nuda hæc negatio, latis cruda, satis involuta merito dicitur; quia simpliciter & absolutè verum non est, quod Prædestina-

stina-

stinatio sit nihil diversum à Deo, cum non sit ipsa Dei essentia, non sit essentiae attributum, sed sit liberrima Dei actio. Et cum scriptura nobis praedestinationem describat non ut ipsum Deum, sed ut actionem Dei, magisque nobis praedestinationis actionem inculcet, quatenus est à Deo, quam prout est in Deo, propterea non ita simpliciter D. Maccovius questionem hanc negare debuisset.

10. Objectiones nostram sententiam non feriunt, quia certo respectu concedimus, Praedestinationem esse ipsum Deum. *Obj. 1.* his adducit & resolvit verbis: *O.* quod est ab alio, illud est diversum ab illo, à quo est. *Atqui praedestinatio est à Deo. E.* etiam diversum quid est à Deo. *Resp. Neg. min.* Ad probationem ex *Eph. I. II.* quia causa & effectum realiter à se invicem distinguuntur, & DEUS sit causa, Praedestinatio effectum, respondet dist. inter opus & operationem: quatenus praedestinatio est opus, est diversum à Deo, quatenus v. operatio, non est. *Inst. Quicquid est in Deo, est Deus ipse. Opus est in Deo. E. Deus ipse. Resp. Opus est in Deo, ut effectum, non v. formaliter. Inst. Quod non est formaliter in aliquo, id est extra illud, in quo est. Opus non est extra Deum. E. Resp. dist. vocabulum extra, vel quatenus est de essentia rei, & ita non sunt in Deo, vel quatenus effectum est in causa. Hæc sunt illa, quæ D. Maccovius circa primam objectionem urgere, & respondere voluit. Ex his observamus (1) quod nonnulla in his reperiantur, quæ thesi Maccoviane contrarietur, vel ad minimum, thesin aliter fuisse formandam, urgere videantur. Nam in thesi negatur simpliciter sine limitatione, quod praedestinatio sit aliquid diversum à Deo, in ecthesi affirmatur, quod praedestinatio, quatenus est opus, sit diversum à DEO. In thesi affirmatur simpliciter, quod praedestinatio sit in Deo, in ecthesi dicitur, esse in Deo, ut effectum, non v. formaliter. In thesi affirmatur, quod praedestinatio sit ipse Deus, & quod praedestinatio nihil sit diversum à Deo, in ecthesi Deus causa praedestinationis, & praedestinatio effectum Dei constituitur. [2] quod minus accurata nonnulla lectoribus à Maccovio obtrudantur, quia (a) Negatur minor, quod
pre-*

prædestinatio sit à Deo, quod tamen paulo post certo respectu conceditur, & Deus ipse causa prædestinationis asseritur [β] Distinguitur inter opus & operationem prædestinationis, illud à Deo diversum adstruitur, de hac v. idem negatur, cum tamen ipsa operatio, vel actio prædestinationis sit certo respectu à Deo, quia non est ab alio, sed à solo Deo, quatenus ad creaturas suo tempore transire dicitur. Operatio igitur ipsa prædestinationis plenius erat explicanda, & clarius exponenda, cū dupliciter considerari possit vel ad intra, quatenus est in DEO, & in Deo manet, & sic non est à Deo; vel ad extra, quatenus per actionem prædestinationis, respectu creaturarum, Dei decretum sese exierit, quæ ratione est etiam à Deo. [γ] Opus esse in Deo ut effectū, nō v. formaliter. Hæc præcedētibus minus cōcordant; siquidē antea prædestinationis opus dicebatur diversū à Deo, sequitur igitur, quod nō sit in Deo. Deinde cōmuniter docetur apud Metaphysicos, quod operatio, vel [ut ἀνύπως nonnulli loqui amāt] effectū quidē operationis sit in Deo, at de effecto operis idē non est dicendū. Porro certū est, quod opus formaliter sit effectum, quia illud formaliter est opus, per quod opus est opus: at per rationem effectus est opus: Ergo ratio formalis effecti est ratio formalis operis. Vana igitur hæc est distinctio, opus est in Deo, ut effectum, non v. formaliter, quia formaliter opus est effectum. denique & hoc falsum, quod opus sit in Deo, ut effectum, cum potius sit à Deo, ut effectum: siquidem effectum, quæ tale, non est in efficiente, sed ab efficiente. [δ] Postremò distinguit vocabulum Extra, vel quatenus est de essentia Dei; vel quatenus effectum est in causa, sed neutrum membrum immediate τὸ Extra respicit, adeoque distinctio est penitus absōna. Nam quod est de essentia, quatenus est de essentia, non est extra: & præterea, quatenus effectum est in causa, eatenus non est extra causam: nihil igitur hæc distinctionis membra ad τὸ Extra explicandum faciunt. Deinde nec hoc potest negari, quod accurate loquendo effectus sit à causa, non sit verò in causa, nisi πυχλῶς & ὁμωνύμως loqui velimus. Reliqua, quæ circa responsionum ad objectionem & instantias applicationem monenda erant, brevitatis studio dimittimus.

II. Ob-

ii. Objectio II. cum resolutionibus ita habet: *Æternum diversum est à non æterno. Deus est æternus, Prædestinatio non, Ergo. Resp. Neg. Min. Instant. Si prædestinatio esset æterna; Ergo Deus habuisset scientiam Non-Entium. Sed falsum hoc. Ergo. Resp. Deus habuit scientiam non Entium, non quidem simpliciter, sed quatenus possibilem. Instant. Non Entium nulla sunt accidentia. Resp. Respectu nostri, non DEI. 2. In essendo scilicet non in predicando. Instant. Si Deus in statu integritatis non potuit esse misericors ob defectum objecti; Ergo nec potuit nos ab æterno prædestinare. Prius est verum. Ergo & posterius. Resp. sunt quædam attributa DEI, quæ requirunt objecta, ut creatio, conservatio & misericordia, quædam vero non requirunt, sed ponunt, ut potentia. Circa hanc, de secunda objectione, disputationem primum saltem & ultimum notamus. Primum Deo & prædestinationi eundem æternitatis statum adsignare videtur, cum tamen certum sit, Deum simpliciter & necessario æternum esse, prædestinationem verò tantum certo respectu, & ex liberrimo Dei decreto æternum vocari. Nam prædestinatio est æterna (1) ratione principii, quia est à DEO æterno, (2) ratione fundamenti, quia in Christo sumus electi ante constitutionem mundi Eph. 1, 4. (3) ratione decreti, quia decretum prædestinationis verè est æternum. Non a. est æterna (1) ratione objecti, quia homines, prædestinationis objectum, ab æterno non extiterunt. (2) ratione meriti, quia meritum prædestinationis actualiter in tempore fuit exhibitum. (3) ratione medii, quod est vera fides, cum sine fide sit impossibile placere Deo Heb. XI. 6. (4) ratione actualis exercitii, vel applicationis, quæ pari modo ab æterno fieri nequitiam potuit. Non igitur simpliciter eadem æternitas & Deo, & prædestinationi, sine quadam declaratione tribuenda erat, quod D. Maccovius ex sola decreti huius summa & prima conditione, & super omnia reliqua decreta, evectione, fecisse videtur, quam Reformatis nunquam concedere possumus.*

12. Ultimo clarius mentem suam exponit, licet linguam adhibere nolit. *Dicit, quædam esse Dei attributa (vel opera,) quæ requirunt objecta, ut creatio, conservatio & misericordia, quædam verò non requirunt, sed ponunt, ut potentia. Hæc responsio (1) est imperfe-*

B

ctæ,

Da, quia nullus est *prædestinationis* mentio, de qua tamē movebatur
 quæstio, & adducebatur objectio. (2) *est fraudulenta*, quia *D.*
Maccovius, quod mente fovet, verbis exprimere non audet, incau-
 tos tamen, & hujus rei minus gnaros involvere studet. Et quia
 distinctionem veram adducit, falsam verò intendit, quam produ-
 cere contra bonæ disputationis leges veretur. Verum enim est,
 attributa quædam requirere, quædam non requirere objecta: sed
 prædestinatio cum accuratè loquendo non sit opus, ut distinctius
 loquamur, etiam hoc dicimus, Operationes quasdam Dei requi-
 rere, quasdam non requirere objecta: Maccovius hæc confuse
 proponit & mutilatè, quia in priori membro eorum, quæ objecta
 requirunt, misericordiã & opera Dei, creationem & conservatio-
 nē, in posteriori illorum, quæ objecta ponunt, solã potentiam ad-
 ducit, prædestinationis verò nullam memoriã facit, cum ejus pri-
 ma fuisset habenda ratio. Si tamē ipsam instantiã & responsionis,
 vel distinctionis scopum respicimus, Prædestinationem refert ad
 illa, quæ objecta non requirunt, sed ponunt. Hinc sequitur, quod
 responsio (3) *sit falsa*, nim prædestinationem objectum non requi-
 rere, sed ponere, quia (α) talem Prædestinationem ignorat Spiritus
 S. adeoq; penitus ἀγραφον declarat. (β) quia talis prædestinatio est
 ἀντιγραφον, liquidè quoties de *prædestinatione* scriptura loquitur,
 toties objectum ipsa requirit, adeoque ad illam operationum di-
 vinarum classem, quæ objecta requirunt, prædestinationem perti-
 nere ostendit. Conf. *Eph. I. 4. Rom. II. 30. &c.* (3) ἀτοπον etiam
 hæc est sententia, quia prædestinatio, ceu actio Dei ad creaturas
 tendens, necessario objectum requirit, in se autem, qua talis, nul-
 lum objectum ponit. Manifestum autem est erroris indicium &
 fundamentum. Nam quia *D. Maccovius* statuit, *prædestinationem*
 esse *absolutam*, esse *primum & summum Dei decretum*, esse *primam*
omnium rerum causam &c. ideò aliter sentire non potuit, absontam
 tamen hanc doctrinam, & à scripturis alienissimam, verbis aper-
 tis, vi veritatis forsitan correptus, adducere noluit.

13. Tantùm de *quæstione prima*. Nunc ad alias sequen-
 tes quæstiones laborem statim dirigere debuisset, sed causæ mor-
 bidæ diffidens, & fundamento præmissio nimium haut tribuens, de
 processu Electionis & reprobationis quædam signa, instar *hypothese-
 sium*

im, immiscere vult: Quatuor, inquit, sunt signa necessaria, ad in-
telligendum processum electionis & reprobationis. Primum, in quo
Judas & Petrus offeruntur divinae voluntati, ut neutri; & tum di-
vina voluntas Petrum praordinavit ad gloriam, nullum autem a-
ctum positivum habuit circa Judam. Secundum est; In quo Petrum
praordinavit ad gratiam, & tum circa Judam nullum adhuc actum
positivum habet. Tertium est, in quo relinquuntur sibi ipsis, & uterq;
cadit in peccatum. Quartum est, in quo Petrus resurgit: Quia
non potest permanere: praedestinatus enim est ex primo signo. Judas
autem non resurgit, quia non habet relevamen in Deo, ideo reproba-
tur.

14. Quod haec signa quatuor Maccoviana, de processu Ele-
ctionis & reprobationis concernit, in genere dicimus, quod nullum
habeant in S. L. fundamentum, unde nec ullum hic locum scripturae
Maccovius producere potuit. At extra scripturam in Theologicis
sapere vera, & mera insipientia. Deinde certum est, quod ista Mac-
coviana signorum Electionis & Reprobationis methodus plane sit
scripturae, & executioni divinae contraria. Haec enim executio
divina singularem Dei favorem prodit non erga Electos tantum,
sed in universum erga omnes homines Tit. II. II. Peccatum quoq;
cum reprobatione ex mero DEI beneplacito derivatur, quod ipsi
naturae DEI, variisque attributis ejus, nim. veritati, sanctitati, justi-
tiae, bonitati &c. repugnat. Neque talis methodus cum *Refor-*
matorum hypothesibus consentit, cum ipsum decretum sit sum-
ma, prima & absoluta causa Electionis & reprobationis, adeoque
non sit opus discretiva hominum oblatione, vel etiam variorum
graduum circa unum eundemque hominem consideratione, cum
satis sit ipsis, Deum hunc elegisse, illum reprobasse. Et certe,
si voluntas DEI nulla inefficax, quod in *Colleg. de praedestin. disput. 8*
pluribus rationibus confirmare Maccovius ipse conatur, quomo-
do h. l. dicit, quod Judas divinae voluntati sit oblatum, ipsa vero in
diversis gradibus nullum actum positivum circa Judam habuerit?
Aut enim voluntas Dei circa Judam oblatum fuit efficax, aut non
fuit efficax. Si hoc, datur voluntas DEI quaedam, quae non sit ef-
ficax, & sic falsum, quod nulla voluntas DEI sit inefficax, cum
B 2 impos.

impossibile sit duo contradictoria simul stare posse, sic disputabit *D. Maccovius* contra thesin. operose l. d. confirmatam: Si vero illud sit verum, sequitur, quod divina voluntas habuerit in omnibus gradibus circa Judam actum positivum, eum omnis efficacia positivum actum inferat, præsertim si sensum *Maccovianum* attendamus, ita ut vel nulla, vel exigua sit inter efficacem & efficientem voluntatem differentia. Et sic falsum, quod hoc loco bis asserit *Maccovius*, divinam voluntatem circa Judam oblatum, nullum actum positivum habuisse: vel ad minimum falsum erit, quod Judas una cum Petro statim in primo & secundo gradu divinæ voluntati sit oblatum, quod itidem *Maccovius* affirmat.

15. In specie, quod attinet primum signum, dicit: *Petrum & Judam offerri divinæ voluntati, ut neutros, & tum divinam voluntatem Petrum præordinasse ad gloriam, nullum autem actum positivum habuisse circa Judam.* Verum hæc (1) dicuntur, non probantur, (2) à Sacris literis penitus ignorantur, (3) Scripturis Sacris contrariantur. Nam si ex decreti executione de voluntate divina, vel decretis divinis iudicium fieri debet, quod passim ipsi met *Calviniani* non diffitentur, certum est è Scriptura, Deum omnes salvos voluisse, omnibusque in Adamo media salutis obtulisse. Unde igitur hæc *neutralitas*, vel *indifferentia Petri & Judæ* erga Deum, vel Dei erga homines, & in primo gradu voluntatis divinæ circa homines, cum eundem respectum homines inter sese, & iterum eundem respectum erga Deum habuerint, ut tali *neutralitate* hautquaquam opus fuerit (4) præsupponit *D. Maccovius* hypotheses falsas (1) quasi decretum Electionis & reprobationis sit omnium primum: (2) quasi Judas sub negationis, & Petrus sub Electionis respectu primum omnium divinæ voluntati offerantur. Hæc tamen *hypotesis* neq; plenè, neq; planè à *Maccovio* exponitur, multo minus è scripturis vel deducitur, vel è divinis literis, aut analogia fidei defenditur. Et quid sibi velit iste *negationis* respectus, non facilè percipitur, cum primis quia *Judæ oblatio* frustra fieret, si quidem objecta voluntati divinæ non ad nihil, sed ad aliquid offeruntur. At *Judas* secundum *Maccovium*
verè

verè divinæ voluntati offertur: Ergo ad aliquid, non ad nihil ipsi offertur. Præterea non addit *Maccovius*, à quonam *Petrus* & *Judas* voluntati divinæ offerantur, cum aliàs voluntas & decretum Dei prima & summa rerum causa, juxta *Calvinianos*, constituatur. Deniq; repugnat hæc ordinatio signorum aliis *Reformatis*, qui *Electiōem* & *reprobationem* æquali censu *Prædestinationi* subjiciunt, (Videatur tabula *Beza* vol 3 p 403) *Electiōem* & *reprobationem Prædestinationi*, ceu Generi cōmuni, supponunt, imò æq; cum *Electiōe* *Reprobationem* absolutā fingunt. (3) Præsupponit, quasi primus divinæ voluntatis actus circa homines maxime fuerit discretivus, alios ad summam gloriam præordnando, circa alios penitus nihil agendo, & quas alias hypotheses *Calvinianas* fovet. Sed nos tales hypotheses, cum ipsis assertis *Maccovianis*, repudiamus, cum scripturæ, analogiæ fidei, & ipsi veritati contrariantur. (4) Fingit primum divinæ voluntatis actum ad Electos exclusivè, non ad reprobos, pertinuisse, & præordinationem ad gloriam posuisse: sed nunquam ex sacris literis hæc rationis *εὐσημετα* probabit. (5) Dicit, *voluntatem divinam in hoc primo signo nullum actum positivum habuisse circa Judam*, sed hoc partim ipsi *Maccovio*, ut *thesi præced.* probatum, partim *Beza* contrariatur, qui in tractatione absolutissima de *prædest* doctrina t. 4. p. 402 scribit: *Cum Electio non sit omnium, NECESSARIO existimandi sunt rejici, EODEM CONSILIO, quicumque non eliguntur: nec minus firmum esse oportet illud æternum Dei consilium Rejectionis: quam Electionis respectu.* Jam si eodem penitus consilio Electi præordinantur ad gloriam, & reprobi rejiciuntur ad ignominiam, falsum, ex mente *Beza*, aliorumq; *Reformatorum*, quod in primo signo non fuerit actus divinæ voluntatis positivus circa *Judam*, aliosq; reprobos.

16. Secundum *Maccovii* signum, quod Electionis reprobationisve processui tribuit, his exponitur: *Secundum signum est, in quo Petrum præordinavit ad gratiam, & tum circa Judam nullum adhuc actum positivum habet.* Errat (1) in eo, quod præordinationem ad gratiam præordinationi ad gloriam postponat. Nam ut se habet executio in tempore, ita divinorum decretorum signa sunt collocanda. Sed gratiæ collatio gloriæ participationem.

præcedit: ergo idem de præordinatione quoque notandum venit. Et cum gloria Electionis in Christo fundata Ephes. I. 4. gratiam per Christum præsupponat, ideo præsens Electionis gloria statui gratiæ non est præferenda. (2) Errat, quod gratiam cum gloria Electionis æque late patere fingit cum *Zuyr-Holl. in Synod. Dordrac. judic. provinc. p. 47.* ubi sentiunt, *Deum singularibus illis personis non tantum gloriam, sed etiam gratiam suam, per quam certò & efficaciter ad gloriam perducantur, destinasse, ac præparasse seu eas non tantum ad finem qui est vita æterna, sed simul etiam ad omnia media ad hunc finem consequendum necessaria destinasse, eaq; suo tempore certo atq; efficaciter iis administrare, ac proinde destinationem ad gratiam æque late se extendere atq; destinationem ad gloriam, & vice versa.* Verum contrarium scriptura docet, quod multi sint vocati, & ad gratiam præordinati, pauci verò electi, & ad gloriam præordinati, *Matth. XX. 16.* (3) Falsissimum, quod in præordinatione ad gratiam nullus *actus positivus* circa *Judam* locum habuerit; contrarium docet Evangelistarum historia, *Jude* religio, quia *Judeus* fuit, *Jude* circumcisio, *Jude* officium, & vocatio ad Apostolatam, quotidiana Christi informatio, frequentissima de prodicione admonitio, & alia. Hos actus esse gratiosos, *D. Maccovius* negare non poterit. Talis autem gratiæ circa *Judam* executio de præordinatione ad gratiam evidentissimum & invictum nobis tradit argumentum. (4) Gravissimus error est, quod ex parte Dei omnis gratiæ *actus positivus* solis Electis adscribitur, & vicissim omnis gratiæ *positivus actus* reprobis in universum, juxta hanc *Maccovianam* methodum, adimitur; quod hæcenus *Reformati* apertè confiteri noluerunt.

17. *Tertium* in Electionis & Reprobationis processu gradum constituit, *in quo relinquntur sibi ipsis, & uterq; cadit in peccatum.* Malè (1) Status peccati gratiæ, per Christum partæ, & gloriæ, in Christo fundatæ, postponitur, & *supralapsariorum* error hoc signo adstruitur, quia Christus ipse, Christi; gratia & gloria, nobis reparata, hominem peccatorem præsupponit. Nam homo nisi peccasset, Christus in carnem non venisset, quia *Deus misit Fi-*

fit Filium suum, factum ex muliere, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus Gal. IV. 4. (2) Pejus adhuc soli derelictioni divinæ peccatum tribuitur, quod sibi ipsis sint relictum, cum gratia divina ordinaria & sufficiens ante lapsum hominē non dereliquerit, sed ipse homo malitiosè gratiam Dei colatam expulerit. (3) omnium verò pessimè peccatum ipsum non tantum ex derelictione, sed ex summo Dei beneplacito deducitur, adeoque Deus non obscure juxta hanc methodum peccati causa statuitur.

18. *Quartum signum est, in quo Petrus resurgit, quia non potest permanere: predestinatus enim est ex primo signo: Iudas autem non resurgit, quia non habet relevamen in Deo: ideo reprobatur.* Verum (1) quartum hoc signum in præcedentibus fundatur, quæ cum nullum inveniunt locum, sicut clarè satis hoc probatum est, facile comparet, quid de hoc quarto signo sit sentiendum. (2) quod *Petrus* permanere non potuerit, propter absolutam illam prædestinationem, æq; figmentum est, sicut absoluta prædestinatio, seu fundamentum ejus, à *Reformatis* est conficta. (3) quod *Iudas* nullum penitus relevamen in Deo, & à Deo acceperit, historiæ Evangelicæ manifestò contrariatur: accepit relevamina ante proditionem satis multa, satis efficacia, si modo locum illis relinquere voluisset: in ipso proditionis actu *Salvator Iudam* corrigit, osculum proditionis reprehendit, ipsumq; in viam revocare contendit: imo post actum proditionis non defuerunt ipsi pœnitentiæ media. quia *Christus* coram militibus, coram sacerdotibus de persona & officio suo multa locutus est, quæ certè relevaminis loco etiam *Iudæ* inservire potuissent. Et cum, quod de *Iuda* dicitur, de omnibus reprobis h. l. juxta *Maccovii* signa sit intelligendū, falsissimum est, quod omnia relevamina reprobis à Deo sint denegata, & quod propterea reprobentur. Sed quia relevaminibus vel planè non utuntur, vel malitiosè abutuntur, ideo vel negligentia, vel malitiæ mercedem hanc reportant, juxta illud *Hos. XII. 9.* *Perditio tua, Israel, ex te, tantummodo in me auxilium tuum.*

19. Post hæc Electionis & reprobationis conficta signa *D. Maccovius* ad *Quest. II.* digreditur: *An Christus sit causa meritoria*

causa Electionis? Circa quæsitum ipsum observamus, quod (1) vox Christi non tam *actualem* Christi *existentiam*, quam *æternam* Messia, in tempore futuri, *præscientiam* denotet, quia Christus non ab æterno, sed in tempore, vel plenitudine tēporis Gal IV. 4. incarnatus est. (2) Quod vox *causæ* h. l. nō in *sensu rigoroso*, pro *reali & actuali influxu* sumatur, cū hac ratione nulla penitus Electionis sit *causa*, quia simplicissima Dei natura causarum & effectuum differentias non admittit, nec intra eminentissimā divinitatis puritatem recipit: sed in *sensu purificato*, pro *ratione quadam priori inferente ipsam Electionem*. (3) *Meritoria* dicitur *Electiois causa*, potius *ratione materialis*, quam *ratione formalis*, quia non actus decreti sed status objecti, nim eligendi, causā meritoriā indigebat.

20. Quæstionis præsentis analysin ita D. Maccovius instituit, ut potissimum suam sententiam *negativam* argumentis datis confirmet, contraria verò fundamenta refutare studeat. *Tria* verò cum primis *argumenta* producit, ut ostendat, *Christum non esse meritoriam causam electionis*. I. *Quia est medium salutis exequenda*. Ergo prius *salus intenditur*, quam ipse, & sic nos sumus prius *Electi*. *Quia ipse est propter nos*. Resp. (1) petit principium, quod Christus suo merito sit salutis *medium*, cum aliud sit esse *Mediatorem*, aliud esse *medium*: *Illud* principalem induit respectum, *hoc* minus principalem infert statum. Christus in S. L. *Mediator* dicitur I. Tim. II. 5. *Medium* varò nullibi vocatur. Deinde posito, quod possit *medium* vocari, tamen *à posse ad esse non valet consecutio*. Præterea, si vocetur, videndum omnino, quo sensu, & à quibus ita vocetur, an fiat in Christi gloriam, an in ejus ignominiam, an ab orthodoxis, an ab heterodoxis ita nuncupetur. Et tamen *dist.* inter *medium principale & instrumentale*. Non enim Christus est *instrumentale*, sed *principale medium*, cum hoc ipse Maccovius negare non possit, Christum esse meritoriam causam salutis exequendæ, quæ non est *salutis instrumentum*, sed ejus *principium*. Deinde cum Christus, juxta Maccovium, sit *medium salutis exequenda*, necessariò sequitur, quod etiam sit *medium salutis decernenda*, adeoq; non possit non, ut *causa meritoria salutis*, decretum ingredi, siquidem ut se habet *executio*, ita concipiendum

dum est decretum, cum nihil sit in executione, quod non antea fuerit in decreto, nisi Deum mutabilem fingere velimus. Præterea salus intenditur prius, ratione executionis meriti Christi, non ratione præcognitionis, quia Christus fundamentum nostræ salutis, ipsa salus nostra *Act. IV. 12.* quia non in alio nobis data, vel promissa, vel ab æterno definita salus, siquidem electi sumus in Christo ante constitutionem mundi *Eph. I. 4.* Denique quod dicitur, *Christum esse propter nos*, verum est in sensu meritorio, quia semetipsum pro nobis omnibus *λύτρον* obtulit *I. Tim. II. 6.* falsum in sensu subordinato, quasi nos absolute finis, ipse v. mediū cuiusdam instrumentalis, habeamus respectum, cum Christo neque superiores, neque nobiliores simus.

21. Ut v. plenius causam Reformatorum agere videatur *Maccovius*, hic exceptionem aliquam resolvere conatur. *Regerunt*, inquit, *Adversarii, tanquam absurdum. Ergo minus dignus Christus, quam nos. Ratio, quia medium indignius fine.* Respondet ipse: *Hoc omnino verum, neq; exinde ulla absurditas, si modo distinctio adhibeatur: quod omne medium, quā medium, sit indignius suo fine: tamen secundum absolutam suam naturam incomparabiliter potest esse dignius fine suo, ut causa effectu suo.* Verum hoc omnino falsum, quod Christus Salvator ulla ratione sit indignior nostrâ salute. Si n. Christus est indignior hominum salute, vel erit indignior respectu personæ, vel respectu officii, cum hæc duo in Salvatore nostro Christo potissimum consideranda veniant. Si nobis est indignior ratione personæ, vel hoc verum esset ratione divine nature, vel ratione humane nature, vel ratione totius personæ. Sed nullum ex his salva veritate affirmari potest, quia ratione divine nature verus Deus est, & omnia Entia sua dignitate transcendit. Ratione humane nature in forma Dei est *Phil. II. 6.* in persona *ἔ* λόγῳ subsistit, adeoq; omnibus creaturis & hominibus, omnibusq; ipsorum affectionibus est superior. Cum igitur ratione utriusq; nature sit dignior omnibus hominibus, etiā de tota persona nobis idē asserendum est, cū tota persona in duabus naturis consistat. Nec ratione officii nobis indignior erit, quia quoad officium propheticum *Propheta magnus Joh. VI. 14.* quoad officium sacerdotale sumus *ἔ* æternus sacerdos *Heb. VI. 20.* quoad officium regium, *Rex Regū ἔ* Dominus Do-

C

minax-

*minantium Apoc. XIX. 16. & quia in omnibus caput nostrum est, nos ejus membra sumus, caput a. reliquis membris non est indignius. Et licet dicatur Rom. XV. 8. διάκονος ἡμετέρας, tamen ministerium hoc non est subjectionis, quale solet indignitatem afferre, sed mediationis, satisfactionis, redemptionis, quale summam dignitatem secum habet. Nam dicitur minister circumcisionis, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, quæ verba non aliud urgent ministerium, quam ministerium mediationis & reconciliationis. Dicitur præterea, quod exinaniverit seipsum Phil. II. 8. sed exinanitionis Christi status nullam indignitatem infert; aliud siquidem est humilitas, aliud indignitas: illam Scriptura Christo tribuit, hanc nusquam ipsi adscribit: illam igitur de Christo credimus, cum ad extremum exinanitionis gradum seipsum humiliaverit, hanc de Salvatore nostro negamus, cum in extremo exinanitionis statu verè noster Salvator & redemptor permanerit, & majorem dignitatem, quam nostra mens cogitare, vel lingua nostra explicare potest, verè possederit. *Distinctio* verò, qua fucum simplicioribus *D. Maccovius* facere conatur, nihil nobis officit. Distinguit ipse inter *medium formaliter & materialiter* sumptum. Dicit, quod *medium, quò medium, sit indignius suo fine: tamen secundum absolutam suam naturam incomparabiliter possit esse dignius sine suo, ut causa effectu suo.* Assumimus hoc, si *causa incomparabiliter est dignior effectu suo*, sequitur etiam, quod Christus, ceu causa meritoria salutis, incomparabiliter sit dignior ipsa salute, cum Christus merito suo non sit *medium non causale, sed medium maxime causale*, siquidem ipse *salvat populum suum à peccatis suis Matt. I. 21. D. Maccovius* igitur suo gladio se ferit. Deinde quale Christus sit *medium præc.* th. fuit expositum, quod certè sine suo non erit *inferius, sed superius, non indignius, sed infinitis modis dignius.* Manet igitur, quod maxima sit absurditas Christum *θεάνδρωπον* nobis hominibus indigniorem statuere.*

22. II. *Argumentum Maccovianum: Propter salutem peccatorum natus & factus est Christus Mediator. Ergo non est causa meritoria Electionis. Conseq. Quia si propterea nasci voluit mediator,*

ator, ut nos servaret. Ergo prius nobis Deum salutem voluit. *Mis-
nor Luc. 4. 18. de Mediatore & humana natura Heb. 2. 14. 15. Resp.*
Nulla datur consequentia in *Majore*, quia hæc duo penitus nõ
pugnant, quæ tamen adducuntur, ut pugnantia, nim. *Propter*
salutem peccatorum nasci Mediatorem, & esse Meritoriam causam
electionis, quia Christus sua nativitate & merito fit Mediator
nostræ salutis *in tempore, ratione executionis*, idem etiam fuit sa-
pientissimo meriti sui consilio Mediator nostræ salutis *ab æter-*
no, ratione electionis, cum ex executione temporali nobis de æ-
ternis Dei decretis sit judicandum. Utrumq; etiam scriptu-
ra dicit. Christus ipse *Matt. XIX. 11.* inquit: *Filius hominis*
venit SALVARE, quod perierat. Et *Paulus Rom. III. 24.* *Justifi-*
cantur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Chri-
sto Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine
ipsius ad ostensionem justitiæ suæ. Hæc & alia scripturæ dicta satis a-
pertè testantur, quod Christus merito suo sit noster Mediator in
via executionis divinæ. Nec aliud nobis tradit scriptura de *æterna*
electione, quia *Jesus Christus heri & hodie, idem & in secula Heb.*
XIII. 8. adeoque illud meritorium officium non hodie in tem-
pore accepit, sed heri etiam, & ab æterno habuit, ut ita ab æ-
terno fuerit in æterno Electionis decreto merito suo noster Me-
diator. Idem etiam testatur *Apostolus Paulus Eph. 1. 3.* *Benedic-*
tus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in
omni benedictione spirituali in cælestibus IN CHRISTO (h. e. in
Christi merito :) *Sicut ELEGIT nos IN CHRISTO* (h. e. in
Christi merito, & propter Christi meritum) *ante mundi consti-*
tutionem. Et v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum,*
per Jesum Christum (ceum redemptorem & Mediatorem nostrum)
in ipsum secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ
suæ, in qua gratificavit nos in dilecto: IN QVO HABEMUS
REDEMPTIONEM PER SANGVINEM EJUS, remissionem
peccatorum secundum divitias gratiæ ejus. Hæc certè satis cla-
ra sunt, quod Christus merito suo etiam ingrediatur Electio-
nis decretum, & verè sit meritoria Electionis causa, cum nulla
nobis contingere potuisset Electionis gratia, nisi propter me-
ritum Christi immensa Dei acquievisset justitia. Deinde τὸ

Propter dupliciter accipitur, vel ut *rigorose* subordinata respicit media, eaq; sibi subordinat: vel ut *παχυλως* respicit quævis alia, & inter hæc etiam merita, principia, causas &c. non *priori sensu* Christus propter nostram salutem dicitur natus, passus & mortuus, sed quoad sensum posteriorem salus nostra Christum, ceu Mediatorem & Redemptorem, respicit, sicut etiam dicimur propter gratiam Dei salvari, non quod gratia Dei sit Electionis decreto excludenda, vel, ceu medium aliquod inferius & indignius, considerata, sed quod illa sit Electionis & salutis principium. Deniq; quod attinet *Consequentia probationem*, sophisticè confundit *D. Maccovius* diversos salutis nostræ status, *statum* nim. Electionis cum *statu Executionis*: prius, nim. *Si propterea nasci voluit Mediator, ut nos servaret*, loquitur de *statu Executionis*; posterius, *Ergo prius nobis salutem voluit*, agit de *statu Electionis*, vel *decreti*: at nemo negat, ipsam Electionem & salutis intencionem fuisse priorem temporali meriti executione: Sed hoc in quaestionem venit, *An Christus, quoad ultimum decreti Electionis punctum, ut causa meritorea ratione præscientiæ divinæ considerari neq; debeat, neq; possit*? Hic Rhodus, hic salta? Ultimum igitur Electionis punctum in æterno decreto præsupponit Christi nativitatem & passionem prævisam & prædefinitam, non verò in executione consideratam, ut ita distingvendum sit inter *meritum Christi prævisum & prædefinitum, & inter meritum Christi in tempore præstitum, atq; ipso opere expeditum*: illud meritoria causa nostræ electionis, hoc meritoria causa exequendæ, vel conferendæ salutis.

23. Regerit v. *D. Maccovius*, ut exceptionibus nostris etiam satisfacisse videatur. *Posse*, inquit, *esse simul medium & causam*. *Respondet*: *Ita, sed diverso respectu: medium ratione finis in intentione, causa, ut est finis in executione*. Verum *Medium* aliquid dicitur, non tantum *ratione finis in intentione*, sed etiam *in executione*, cum per media finis intentus ad executionem deducatur, adeoq; hæc distinctio nihil roboris habet. Deinde licet ponderis aliquid haberet, tamen non statim in hoc mysterio locum inveniret, cum non omnes statim distinc-
tio-

Etiones Metaphysicę ad summa fidei mysteria vel possint, vel debeant applicari: cum primis quia superius demonstratum est, quod Christus merito suo magis dicatur, quam sit medium, & rectius causa meritoria salutis nuncupetur, aut si quis mediis terminum adhibere velit, eum de medio principali, non instrumentali explicare debeat. Firmum igitur adhuc est, quod Christus sit non tantum causa meritoria salutis exequenda, sed etiam ipsius Electionis.

24. Tertium & ultimum D. Maccovius producit argumentum: Propter salutem peccatorum venit; Ergo non est causa meritoria Electionis. Conseq. Quia ipse est medium, salus a. finis. Minor Matt. 20. 28. 1. Tim. 2. Fidelis sermo &c. Resp. D. Maccovius iterum eadem chorda oberrat, & fundamentum argumentationis suę potissimum in eo reponit, quod Christus sit salutis medium. Verum (1) limitamus majorem: Quicumque propter salutem peccatorum venit, eo respectu quatenus in tempore venit, non est meritoria causa electionis aeternę, sed tantum in tempore salutis exequendę. Et sic concedimus totum, cum nemo nostrum hoc vel unquam dixerit, vel statuere voluerit. (2) Distinguimus inter Christi meritum in signo rationis divinę, & in actu executionis externę: illud meritoriam causam Electionis, hoc meritoriam causam salutis credimus & confitemur, juxta scripturę dicta superius adducta. Male a. D. Maccovius meritum externum temporale cum aeterno Electionis decreto semper conjungit & confundit, & adhuc pejus nobis ejusmodi sententiam affingit, quod absolutę & immediatę meritum Christi temporale meritoriam causam aeternę Electionis asseramus. (3) Quod ultimo rationem consequentię concernit, negamus Christum absolute, secundumque vulgatum sensum esse salutis medium, cum sit κατ' ἐξοχὴν σωτὴρ, eminentissimo gradu, statu, vel modo Salvator, quo non potest dari eminentior, ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας princeps, dux & vindex salutis Heb. II. 10. ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς Autor & consummator fidei & salutis, Heb. XII. 2. ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, princeps vitę Act. III. ἀρχηγὸς καὶ σωτὴρ princeps & Salvator, vel principalis Salvator &c. Talis certe Salvator non potest esse nudum medium. Rectius Leidenses in Synopsi pur.

Theol. d. 24. th. 24. seq. In hoc electionis decreto cum tota vetustate,
& nonnullis Reformatæ Ecclesiæ magnis autoribus primum locum
Christo, tanquam capiti ac Redemptori Ecclesiæ, assignamus. Item
th. 25. Etsi agnoscamus Deum Patrem, ex quo sunt omnia, & qui
nos sibi reconciliavit per Christum 2. Cor. 5. 18. voluntatem seu af-
fectum habuisse quorundam miserendi, quum Christum in eadē
eternitate redemptorem constituerit, quia redemptor sine redimendis
cogitari non potest: tamen hac voluntas, aut affectus solus in scriptu-
ris Electio nondum vocatur, quia misericordia illa à justitia impedi-
ebatur, quo minus peccatoribus actu completo salutem destinaret,
nisi satisfactione interveniente: & quia Electio hæc non tantum fi-
nem, sed & media ad salutem necessaria complectitur. Sed tum de-
mum Electio vocatur & est, cum Christus eligendorum caput &
Mediator est constitutus, & ipsi in illius membra sunt destinati, atq;
hoc respectu in Christo Jesu electi Eph. 1. 4. & c. Atq; hoc pacto inter
Christum tanquam caput & electos, tanquam destinata & donata es-
sē membra, quæ vivificanda, ac in unum corpus redigenda accepit.
certus aliquis respectus est, ac mutua relatio, etiam antequam per fi-
dem plene ei uniantur, sed cum in sese ejus adhuc sunt inimici, quæ-
admodum inter sponsam & Sponsam, **QUAM SVO SANGVINE
SIBI DEBUIT REDIMERE.** Hæc illi. *Vendelin. in Exerec.*
8. p. 66. Christi meritum etiam disertis verbis causam merito-
riam Electionis appellat: *Admittimus, inquit, eudoxiam in Chri-
sti merito fundatam, si Christi meritum ab eudoxia ordinatum ad vi-
tam, TANQUAM CAUSA EIVS MERITORIA intelligatur:*
*sin tanquam causa impulsiva ejusdem eudoxias, non assentimur. Qui-
bus directè Maccoviane thesi contradicit, quæ negat absolu-
tè, Christum esse meritoriam causam Electionis.*

25. Regerit nostri causa ad hoc argumentum: *Si est medium
nō est causa salutis, nam medium indignius sine: causa a. dignior
quovis effectu. Respondet: Verumq; diverso respectu: medium
respectu finis est causa; & finis respectu medii effectu, ut Keckerus
in Syst. Log. docet. Quatenus medium Christus est indignior salu-
te, scilicet sine. At ut causa dignior salute. Nam omnis cau-
sa dignior effectu. Verum relabitur D. Maccovius ad cramben*

an-

antea coctam. Nā(1) non de salute l. salutis causa meritoria, sed de causa meritoria Electionis h. l. disquiritur, si distincte loqui velimus, cum primis, quia *Reformati* causas salutis Electioni non concedunt. (2) Falsum, quod Christus etiam, ut *medium*, sit indignior nostra salute, cum *medium personale & principale*, quale *Mediator* est, & *Redemptor*, non *materiale*, vel *instrumentale* sit nostræ salutis. (3) Si *medium respectu finis est causa, & finis respectu medii effectus*, juxta *Keckerm.* & *Maccovium*, manet hoc, quod Christus hoc modo sit dignior salute in ipso *medii respectu*, quatenus ad *finem* refertur. Ad *κρησφύγετον* a. de *sine intentionis & executionis th. 23.* est responsum.

26. Haftenus de *Maccovianis* argumentis, eorumq; ἀναλύσει, nunc ad nostra fundamenta respondere conatur. Ex omnibus a. tria potissimum eligit, ut in his laudem aliquam quærat. *Obj. 1. Eph. 1. 4. Electi sumus in Christo: Ergo causa meritoria salutis. Resp. D. Maccovius. Est fallacia cōpositionis & divisionis; non n. simpliciter dicitur, elegit nos in ipso, sed elegit nos in ipso esse. Hinc Augustinus: Non elegit nos, qui in Christo eramus, sed ut in ipso essemus.* Verum ipse *Maccovius* vitium committit, cuius nos reos agit. Verba *textus* ita se habent: Καθὼς ἐξέλεξάτο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ. Nemo non videt, qui leviter græcis literis tinctus, quod τὸ εἶναι non ad prius comma, sed ad posterius pertineat: Doctori certe Theologo vix per somnium hoc incidere posset. Repugnat illa *textus corruptio Maccoviana* [1] *Vulgata receptaq; distinctioni.* [2] *sociorum assertioni*, quia *Beza, Junius & Tremellius*, alique receptæ distinctioni subscribunt (3) *Grammaticæ constructioni*, quia τὸ εἶναι regit immediatè sequentes tres Accusativos, adeoq; non nisi per violentam torturam ab his ad præcedentem versus paratulam distrahitur, præcedens vero ἡμᾶς si regere debuisset, cum eodem etiam conjunctum fuisset, sicut plerumque vel immediatè, vel particulis interjectis casui suo conjungitur, prout exemplum etiam in hoc capite v. 12. occurrit: εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς, ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante spera-

vimus in Christo. Ex his contra *D. Maccovium* manifestum; quod τὸ εἶναι non ad prius, sed ad posterius comma pertineat, & quod non à nostris, sed à *Maccovia* turpiter fallacia compositionis & divisionis committatur.

27. Quod præterea locus hic de causa meritoria salutis, & ipsius etiam electionis sit intelligendus, non nostris, sed ipsorum Reformatorum verbis notabimus. *Szegedinus* tabul. 1. de Elect. pag. 110. scribit: Efficiens meritoria Christus cum suo sanguine. In hoc n. & propter hunc facta est electio. *D. Johannes Crocius* 1. caput ad Ephes. p. 59. Elegit igitur in ipso, scilicet Christo, tanquam Mediatore, sine quo si sit, peccatoribus debetur mors aeterna. Nec quenquam Deus elegit, nisi satisfiat suae justitiae. Ideo elegit in Christo, qui pro toto humano genere satisfecit. Non elegit nos in nobis ipsis, quasi fide aut sanctitate id meruerimus, aut ipsi plauerimus extra Christum. Audiamus etiam *Hieron. Zanchium*, qui T. 6. in c. 1. ad Ephes. p. 12. postquam quorundam Calvinianorum glossam allegarat, veritatis splendore victus subiungit: Sed mihi magis probatur, si dicamus nos esse electos in Christo, tanquam in capite, ut essemus illius membra, eaq; sancta & c. Sicut enim Pater Christum prius exaltavit in caelum, sedereque eum fecit, postea nos in illo; sic etiam hunc ordinem cogito in illa aeterna Electione. Voluit Deus Pater Filium fieri caput Ecclesiae; elegit ergo illi membra. Et Apostoli Verba HOC DOCENT, Benedixit nos in Christo (ut capite) sicut elegit nos in ipso. Sicut igitur non sumus benedicti, nisi in Christo capite: ita etiam non sumus electi sine Christo, aut ullo ordine natura extra Christum, sed in Christo, ut in capite, illoque jam electo capite. Quo spectat, quod ait in fine cap. Ecclesiam esse κεφαλαίον Christi: id est, Christus se non iudicat perfectum sine nobis. Summa haec est: Omnem benedictionem nos accepisse in Christo, & habere. Atqui etiam electos nos esse, summa est benedictio & fons & c. Ergo etiam NON FUIMVS ELECTI EXTRA CHRISTVM, SED IN CHRISTO, ut membra in capite. Haec & alia ipsorum Reformatorum testimonia confirmant, nos & in Christo,
& in

& in Christo, seu causa meritoria Electionis, secundum hoc
Pauli testimonium, à Deo electos esse.

28. *Instantiam addit ex Joh. 15. 16. Non vos me elegistis
&c. Si Christus elegit, Ergo erit causa meritoria salutis. Re-
spondet 1. Ambiguitatem esse in voce Electionis; Est enim Ele-
ctio vel ad vitam eternam, vel ad Apostolatam: hic de postero-
ri agitur. 2. Dato, quod de electione ad vitam aternam, tamen alia
est causa efficiens realis electionis, alia objectiva, sive moralis, qua-
lis est meritoria. Realis facit aliquid, objectiva non item, sed est
causa propter quam aliquis aliquid facit. Verum, si Maccovio
forent instantiæ objiciendæ, non opus esset ad hanc futi-
lem, quam de fallacia compositionis & divisionis dederat respõ-
sionem, alia producere scripturæ dicta, sed satis multas re-
xtus ipse suppeditaret, quas Maccovius firmiter nunquam re-
solvere valeret. Deinde non allegat, quisnam nostratum
hanc instantiã sit usus, hoc certè nunquam demonstrabit, quod
ad illam ineptam responsionem, à se datam, aliquis hanc in-
stantiã usus fuerit. Vero igitur simile videtur, Maccovium,
hanc instantiam pro lubitu sibi posuisse, ut coram suis accura-
tè disputare, & instantias etiam adversariorum enervare præ-
sumeretur.*

29. Quod ipsum locum Joh. XV. concernit, talia certe
Christus & Apostolis per totum caput prædicat, quæ non ad A-
postolatam, sed ad Christianismum pertinebãt, unde si vel capi-
ti initiam, vel scopum, vel objectum, vel contextum considerare
velimus, producta verba de Electione non ad Apostolatam,
sed ad salutem explicanda sunt. Interim neque nostri ta-
lem Electionem ad Apostolatam excludunt. Nam B. Hur-
nius in Comment. super h. l. utramque electionem conjun-
git: Pertinet hoc, inquit, ad exaggerandam charitatem
Christi, quod gratis eos elegit, sine præeunte merito, ita ut
non ipsi prius elegerint Christum, sed præventi sint Christi ipsius
beneficio gratuito. Eligit autem discipulos duplici ratione, primò
ad salutem: secundo ad munus Apostolorum, constituens eos, ut fru-

D

ctus

Et ut afferant Electis dignos, conditi scilicet à Christo Jesu ad opera bona: & deinde ut suo etiam ministerio in toto mundo fructus ferant, & quicquid petunt Patrem nomine Christi, id ipsum, cum fructibus precum suarum in Christi merito impetrent.

30. Illud vero maximè contrarium orthodoxiæ, quod negat, Christum esse causam efficientem realem Electionis, quæ faciat aliquid, eumque statuit, esse tantum objectivam & moralem, seu meritoriam, quæ nihil faciat, sed propter quam aliquis aliquid facit. Nam (1) Christus dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: Christum autem esse veram causam efficientem realem Electionis, non potest, neque debet negari, cum Christus etiam verus Deus sit. Adeoque posito, quod meritoria causa nihil agat, tamè non absolute negandū erat, Christū esse causam efficientem realem Electionis (2) Realis efficiens causa, vel sumitur rigorosè, pro causa reali physica, sic causa Meritoria non est causa realis: Vel sumitur ampliatè, pro causa reali vera, proprie sic dicta, sic meritoria causa vera, realis, principalis causa h. l. appellari debet, licet non sit causa principalis decernens, tamen est principale meritum, propter quod decernens causa decretum instituit. Si (3) causa meritoria nihil agit, plane non est causa, sed equivoce saltem ita dicitur, adeoque frustrà Christus mortuus. (4) Falsum, quod meritoria causa cum morali coincidat, cum meritoria sit efficiens causa species, quæ revera meritum suum præstat, & propter hoc urget sibi debitum, quod de morali dici nequit. (5) Si propter causam meritoriam aliquis aliquid h. e. causa principalis effectum, facit, sequitur quod meritum illud sit verum, non fictū, reale, non pure intentionale, suo modo activum, seu effectivum, non tantum objectivum, nisi respectu divini conceptus, non a. ratione salutaris influxus, vel Electionis effectus illud considerare velimus. (6) Hac ratione meritum Christi Calviniani penitus enervant, & Sociniani latas portas aperiunt, si meritum Christi moralem tantum esse causam, nihil penitus agentem, publicis scriptis defendunt. Sicut olim etiam ipse Calvinus l. 2. instit. c. 17. sect. 1. scripsit: Equidem fator, si quis simpliciter & per se Christum oppone-

re vellet iudicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri. Denique (8) non negligenda h. l. D. Maccovii contradictio, qui modo Meritoriam causam Electionis asserit, eamque moralem & objectivam dicit, propter quam realis causa facit aliquid, sed hoc ipsi thesi contrariatur, quæ prorsus omnem meritoriam Electionis causam negat.

31. Object. II. Rom. 8. 29. Deus prædestinavit nos &c. Est ergo Christus causa meritoria Electionis: Conseq. quia prædestinamur conformandi imagini Filii Dei. Ergo Christus prius prædestinatus, prius consideratus. Respondet: Est Electio ad finem & ad media. Quod ad media attinet, certum est, Christum esse causam mediorum, sed non esse causam decreti ad finem. Quod mediorum fit causa docetur Eph. 1. 3. Verum num Maccovius hoc argumentum è nostratibus descripserit, an verò idem excogitarit, non docet: ex ipsis verbis & aliis circumstantiis certum, vel mutilatè productum, vel penitus confictum illud esse. Hoc n. novum non est Reformatis, ut primum sibi fingant argumenta adversaria; quæ postea majori tum applausu refutare queant. In hoc certe loco causæ meritoria nec explicitè, nec immediatè fit mentio, quia verba illa, de conformatione nostri ad imaginem Filii Dei, à nostris non de meritoria, sed de finali prædestinationis causa explicantur. Eminentissimus Theolog. Dn. D. VVellerus in Comment. super h. l. προώειρε συµµόρφως inquit, i. e. εἰς τὸ εἶναι Συµμόρφως ἑἰκόνην ἑ οὐκ ἀντὶ. B. Hunnius h. l. uberius etiam sensum verborum istorum exponit: Ad quid verò præfiniti sint electi, ostendit Paulus scribens: præfinitis eos, ut conformes fiant imagini filii ipsius: non solum quod ad afflictionem & crucis societatem attinet, sed multo magis venturae gloriae & hereditatis cælestis ratione, cum sint cohæredes & fratres Christi; eo tamen ordine, ut ipse (Christus) sit maneatq. primogenitus inter multos fratres, qui in omnibus primas teneat, utpote ad quem hereditas illa filiorum Dei non ex gratia, sed natura pertinet; unde & incomparabiliter ipsam obtinet: qua de causa conformationem nominat Apostolus, non equalitatem: quod sancti quidem conformes redduntur Christo in gloria, nunquam verò aequales.

Porro certissimum est, Christum prius in Electionis decreto fuisse consideratum, sicut ex ipsis Reformatorum verbis superius th. 27. notavimus, Christum vero prius fuisse predestinatum, non æquè dicendum, cum illa, quæ nobis in Christo contigit predestinatio, non ullum in Christo locum inveniat. Dicitur quidem præcognitus ante mundi constitutionem, Sed alia Christi, alia nostri præcognitio, vel predestinatio. Christus enim in Christo eligi non potuit, neque debuit. Adhæc concedimus distinctionem inter Electionem ad finem & ad media, cum utraque nobis donata sit, quod v. Christus tantum sit causa mediorum, non a. sit causa decreti ad finem, gratis dicitur. Ut se habet executio, talis fuit decreti constitutio, tam respectu finis, quam respectu mediorum, adeoque Christus non tantum mediorum, sed etiam finis in decreto erit causa meritoria, cum in tempore non tantum sit mediorum salutis, sed etiam ipsius finis, nim. salutis, causa meritoria. Est enim inquit Pareus in Act. Synod. Dordrac. p. 292. in Theologia indubitabilis regula, nitens sacre scripture autoritate (Act. 15. 18. Eph. 1. 3.) Quicquid Deus in tempore facit, id eum ab aeterno facere decrevisse, cum in Deum nulla cadere possit mutatio. Respectu nostri igitur hæc distinctio procedit, respectu Christi eadem sensu Maccoviano procedere nequit, cum utrumque membrum verissimè & realissimè Christo Salvatori competat, & tam Electionis ad finem, quam Electionis ad media sit causa meritoria.

32. Denique quod attinet locum ex Eph. 1. 3. facile largimur, quod Christus ibidem mediorum Electionis causa constituatur, negamus v. quod ibidem mediorum Electionis tantum, non a. finis causa dicatur. Nulla siquidem ibi legitur vel finis exclusio, vel mediorum & finis oppositio, adeoque verba Apostoli exclusivè non sunt intelligenda. Deinde Apostolus loquitur de OMNI BENEDICTIONE SPIRITUALI UNIVERSALITER in verbis text^o: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in OMNI BENEDICTIONE SPIRITUALI IN COELESTIBVS IN CHRISTO*: jam Electio ad finem, aut est benedictio spiritualis, aut non est benedictio spiritualis, Posterius non potest affirmari.

firmari, quod *Electio ad finem* non sit *benedictio spiritualis*,
quia si non esset *spiritualis benedictio*, nihil beneficii,
nihil solatii contineret, nec in quoquam nos erigere
posset, quæ omnia cum sint absurda, scripturisque sacris
contraria, neququam sunt asserenda. Manet igitur prius,
quod *Electio ad finem* sit *benedictio spiritualis*, & propterea *Ele-*
ctio ad finem ab hoc versiculo non excluditur, sed includitur,
sub universali benedictione continetur, & in Christo, ceu *cau-*
sa meritoria, facta dicitur. Accedit huc, quod *Apostolus* statim
v. 4. subjungit: *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mun-*
di, quæ certe verba non de *Electio ad media* tantum, sed po-
tissimum de *Electio ad finem*, explicanda erunt. Posito igi-
tur, quod *Apostolus* v. 3. tantum de *Electio ad media* lo-
quatur, tamen *respectu Christi*, tanquam *causa meritoria*, nullam
vel *distinctionem*, vel *oppositionem* textus admitteret. Nam
benedixit nos, inquit *in Christo*, *sicut elegit nos in ipso* (Christo).
Particula verò, *SICUT*, respicit ad *precedentem versum*, notat-
que eandem esse rationem *Christi respectu Electionis & benedi-*
ctionis, imò *Electio ad media & benedictionem* ex iisdem fluere causis.
Ergo *Electio ad media*, & *Electio ad finem* non nisi in Christo,
cei *causa meritoria*, facta censetur.

33. *Instantiam* præterea huic objectioni subnectit: *Imò*
Deus nunquam nobis decrevit dare salutem extra Christum: Ergo
nec datur. Si non dat; Ergo nec dare decrevit: Ergo Christus est
causa meritoria, Ergo. Respondet: Ignoratio est Elenchi. Nam
aliud est esse causam, quoad executionem finis, quod vel Idiote in
Logicis norunt. Videtur, quod alterum hoc loco membrum
sit omissum, scil. quod aliud sit, esse causam, quoad intentionem
finis. Accusat nos ignorationis Elenchi, sed turpiter ipse po-
tius in ignorationem Elenchi dilabitur. Nam de eo quaestio
non est: An Christi meritum actuale fuerit causa meritoria Ele-
ctionis, quia tale meritum actuale, in tempore præstitum, me-
ritoriam quidem causam salutis, immediatè verò Electionis
non dicimus: cum n. ab æterno non fuerit, causæ meritoria
respectum induere non potuit. Sed illud est, de quo contro-

vertitur, *Annon Christi meritum prævisum cause meritoria re-
spectum habuerit?* & hoc est, quod cum scriptura, cum omni-
bus orthodoxis confitemur, neque *Calviniani* saniores idem
diffiteri possunt. Conf. dicta *th.* 27. Jam dispiciendum, an-
non *Maccovius* *ignorationem Elenchi* commiserit, cum revera
extrastatum questionis verletur, nobisq; directè non contra-
dicat. Deinde si decreta Dei sunt immutabilia, quod ubiq;
Reformati his & aliis controversis supponunt, omninò verum
est, quod in tempore non det, nisi ab æterno dare decreve-
rit, cū primis quia decreta Dei omnium rerū causas juxta ipsos cō-
stituunt. Jam si decretum dationis temporalis est causa neces-
saria, sequitur, quod à datione temporali apodicticè de de-
creto iudicium fieri queat, cum omnis effectus de sua causa
testetur, ad suam causam referatur, neque quicquam perfecti-
onis in effectu reperiatur, quod non antea fuerit in causa. De-
nique quod attinet *distinctionem*, quod *aliud sit esse causam,*
quoad executionem finis, aliud sit, *esse causam, quoad intentio-
nem finis*: hoc certè nec *universaliter*, nec *hoc loco* verum est:
non *illud*, quia media, quæ efficiens & finem intendens præ-
cōcipit, illa & non alia in actum deducit, & per eadem finē
producit, ut ita non sit aliud *in intentione*, aliud *in executio-
ne*, si de *mediis* loqui velimus, licet *alio modo* sint *in intentione*,
alio modo v. in executione. Sed *modus rem non variat*. Falsum
igitur, quod aliud concipiatur, ut *finis in intentione causa*, sed
aliud producat, ut *finis causa quoad executionem*, si modo in
eodem causæ genere permaneat, neque diversa causarum ge-
nera confundat. Hoc loco etiam penitus falsum est, quod
aliud fuerit *meritoria causa*, quoad *salutis Electionē*, aliud fue-
rit, vel sit salutis causa, quoad *salutis executionem*, quia *Vnus*
(*absolutè & exclusivè*, quoad salutis intentionem & executio-
nem) est *Mediator Dei & Hominum, Homo Christus Jesus I. Tim.*
II. 5. Idem etiam Christus Heri & Hodie, idem & in secula Heb.
XIII. 8. Vnum igitur Christi meritum, una salutis merito-
ria causa, in qua, & respectu cuius *benedixit nos DEVS Pater*

omnis

omni benedictione Spirituali, & in qua nos elegit ante mundi con-
stitutionem Eph. 1.3.4.

34. Ultimò D. Maccovius, circa secundam de meritoria
Electionis causa Quæstionem, tertiam Objectionem sibi propo-
nit: Sicut salvat Deus in tempore, ita decrevit ab eterno. *Ac
Salvatur per Christum. Ergo. Respondet: Nec hoc est magni mo-
menti, non n. est quæstio: An nobis Deus decreverit salutem
dare in Christo? sed de eo: Vtrumne quoad intentionem Deus no-
bis prius voluit salutem, quam Christum fieri hominem & Mediato-
rem? Nos affirmamus prius. Quia propter finem vult Deus me-
dia. Verum argumentum hoc latis est firmum, neque per il-
lum Maccovianum contemptum, quod non sit magni momen-
ti, statim dissolvitur. Major enim certa, quia verissima
datur inter decretum ipsum, & inter decreti executionem har-
monia, non equidem quoad rei modum, sed quoad rem ipsam,
non quoad causarum statum, sed quoad causas ipsas. Minor
ab ipsis Reformatis conceditur. Stat igitur firmo talo con-
clusio. Responsionem D. Maccovii quod attinet, partim so-
phistica, partim captiosa, partim aliena, partim falsa. Sophisti-
ca, quia cum D. Maccovius nihil inveniret, quod ad argumẽ-
tum directè responderet, argumento dimisso, de eo, quid sit,
vel quid non sit in quæstione, sine omni applicatione differere,
quam penitus tacere maluit. Captiosa, quia dicit, non esse
quæstionem, An nobis Deus decreverit salutem dare in Christo?
quia terminis captiosè transpositis fallacia compositionis & di-
visionis ludit, negatque venire in quæstionem, quod reverà
controversum est. Hoc enim est, de quo disputatur, ut ipsum
hujus tractationis caput ostendit, An Christus sit meritoria cau-
sa Electionis? h. e. An in Christo, cetera meritoria causa, nobis DE-
US decreverit salutem? Nam hoc est, quod hætenus negavit
Maccovius, & quod hætenus solida objectionum & responsio-
num Maccovianarum discussione demonstravimus. Ergo
venit hoc in controversiam. Sed ut hæreticas merces suis
emptoribus eò plausibilius exponeret, verba In Christo ad fi-
nem quæstionis transfert, contra positum verborum in quæ-
stio-*

sione, *An Christus sit meritoria causa Electionis*, ut verba, *In*
Christo, non ad ipsum decretum, sed ad executionis actum respi-
 cerent, & ipse negare posset, modo hanc questionem in con-
 troversiam venire. Absit a talis a viris bonis, multo ma-
 gis a Theologis, verborum lusus! *Aliena quoque responsio*:
Quia modo non de prima, præcisè loquendo, salutis intentio-
ne, sed de tota nostri ad salutem Electione, sermo habetur. Non
 enim quæstio his verbis à *Maccovio* formatur: *An Christus sit*
meritoria causa prima Dei, quoad nostram salutem, intentionis?
 sed, *An Christus sit meritoria causa Electionis?* alienum igitur
 hic intentionis illius primæ, vel præsuppositæ, mentionem
 injicere, & intentionem præcisam, ad meritum Christi qui-
 dem relatam, mediis tamen contradistinctam, cum Electio-
 ne, vel electionis decreto confundere. Falsa denique re-
 sponso, si τὸ *Velle salutem* intelligatur de *Electiois decreto*,
 quod necessariò fieri debet, si quæstionem attendere, & igno-
 rationem Elenchi effugere *Maccovius* velit. Nam omninò
 Deus prius voluit Christum fieri hominem & Mediatorem,
 quam nostram voluit h. e. decrevit salutem seu nos elegit ad
 salutem (1) quia ἡ ἐξουσία ἐν ἄλλῳ ὕδενι ἢ σωτηρία, ut loquuntur
 absolute *Apostoli Act. IV. 12.* ergo neque in aliquo quoquam
 decreta salus, neque in alio quoquam promissa salus, neque
 in alio quoquam data, vel collata salus, quam unice in Chri-
 sto. (2) quia *Electi sumus in IPSO (CHRISTO) ante mundi*
constitutionem Eph. I. 4. (3) quia Christus ἀρχηγὸς τῆς σωτη-
 ρίας princeps & principium salutis *Heb. II. 10.* ἀρχηγὸς καὶ τελειω-
 τῆς autor & consummator *Hebr. XII. 2.* Ergo ab æterno salutis
 consilium dedit, & in tempore salutis auxilium nobis tulit.
Conf. ch. 27.

35. Quod ad *rationem Maccovii*, *Quia propter finem vult De-*
us media: dicimus varia iterum hic esse involuta. Nam *Finis*
Dei, vel dicitur *prima salutis intentio*, mediis & decreto contradi-
 stincta, quæ soli misericordiæ, vel commiserationi cum respectu
 ad meritum Christi debetur: vel *finis* dicitur *Electiois decretum*,
 in Christo fundatum, & mediis omnibus præcognitis ordinatum:

pri

priori respectu Meritum Christi præcognitum, ejusque per fidem
applicatio præscita, media finis possunt appellari: sed de his im-
presentialium non est sermo, cum de meritoria causa Electionis
modo solliciti simus: At posteriori modo Meritum Christi non est
Electionis, vel finis medium, sed fundamentum, quia Electio nunquam
facta fuisset, nisi in Christo fieri potuisset, & nisi Christus nostram
causa satisfacere, poenas meritas suscipere, & justitiæ divinæ αὐτῶν
persolvere voluisset. Hujus tamen respectu actuale Christi me-
ritum, in tempore præstitum, medium appellari posset. Sed de
hoc iterum nullus habetur sermo. His igitur perspicuè atq; so-
lidè discussis, manet nostra Thesis salva: *Christus est meritoria
causa Elect. onis.*

36. Tertiã questionem D. Maccovius de singularium persona-
rum Electione constituit: *An singulares persone eligantur?* Ubi
notamus in antecessum, quod hæc quæstio citra dubium à Macco-
vio non Lutheranis, sed Arminianis, opposita potissimum videat-
ur, siquidem illi variabilem & indeterminatam Electionem asse-
runt. Nam in Confess. cap. XVIII. sect. 6. tres credentium ordines
introducunt, primum Novitiorum, qui recens ad fidem convertun-
tur, sed ortis tentationibus statim languescunt & desiciunt. Alterum
eorum, qui in viva fide & proposito Sancto aliquanto tempore qui-
dem constantes manent, sed tandem tamen sive mundi, sive carnis, si-
ve Satana illecebris, aut violenta tyrannide victi, fractiq; à fide des-
ciunt, ac desiscunt. Tertium eorum, qui finaliter perseverant.
Priores duos ordines eligi verè, sed non prorsus absolutè, nec nisi ad
tempus: tertium ac postremum solum finaliter, ac peremptoriè eligi as-
serunt. Conf. Examen censura Remonst. c. 18 sect. 16. Econtra verò
Form. Concord. p. 812. singularium Electionem profitetur: Dubi-
um non est, quin Deus exactissimè, & certissimè ante tempora mundi
præviderit, & hodie etiam nôrit, QUINAM ex eorum numero, qui
vocati sunt, in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex con-
versis in fide perseveraturi sint, qui non: & qui in peccata gravia
prolapsi, reversuri sint, & qui in sceleribus perituri. Et haut dubie
etiam numerus eorum, qui salvabuntur, & damnandorum Deo probè
notus est. Item pag. 803. Deus illo suo consilio, proposito & ordina-
E tione,

eione, non tantū in genere salutem suorum procecuravit: Verum etiam
OMNES & SINGULAS PERSONAS ELECTORUM (qui per
Christum salvandi sunt) clementer præscivit, ad salutem elegit: &
decrevit, quod eo modo (quem jam recitavimus) ipsos per suam gra-
tiam, dona atq; efficaciam, salutis æternæ participes facere, juvare, e-
orum salutem promovere, ipsos confirmare & conservare velit.

37. Interim & hoc observatu dignum, quod ipsi Calviniani,
quando de singularium Electione disputant, nostram orthodoxam
simul sententiam oppugnant, ut apparet ex ipsa Synod. Dordrac. in
Act. p. 494. ubi Britannici numerant hanc inter heterodoxas the-
ses: Electionem singularium personarum peremptoriam esse ex prævi-
sione & consideratione fidei in Christum, & in eadem fide perseveran-
tia, tanquam conditionis in eligendo prærequisite. Ita pariter in
judiciis provincial. p. 97. hanc, ceu heterodoxam thesin rejiciunt Ul-
traject. Electio singularium ad salutem non absoluta, sed conditionalis
est, fundatur in præscientia Dei, secundam quam infallibiliter novit,
qui in Filiū ejus Jesum Christum sint credituri, & in fide perseveraturi
Conf. th. 5. ib. p. 97. In his is thesibus non error aliquis Arminianus,
sed ipsa veritas cœlestis heterodoxias à Dordracena Synodo accu-
satur.

38. Præterea in eadem Synodo singularium personarum Ele-
ctionem, vel decretum Electionis ejusmodi describunt, cui Or-
thodoxorum nemo salva veritate cœlesti, bonaque conscientia
subscribere potest. Nam in Act. p. 420. hæc leguntur in Hassiac. judi-
cio: Decretum Electionis ad vitam æternam tria complectitur Primo,
Propositum Dei CERTARUM QUARUNDAM SINGULARIUM
PERSONARUM ex lapsu genere humano, quarum numerus soli Deo
notus est pro benevolenti affectu voluntatis suæ, in laudem gloriose suæ
gratiæ, miserendi, eosq; è communi miseria in quam sese præcipites e-
gerant, eripiendi &c. II. Electio complectitur destinationem illarum
certarum & SINGULARIUM PERSONARUM ad summam beati-
tudinem & felicitatem vid. ad vitam æternam Act. 13. 48. ad gloriam
Rom. 8. 29. 30. ad salutem 2. Thess. 2. 13. III. Complectitur ordinatio-
nem & dispositi nem certorum mediocum, per quæ ad finem intentum
perveniendum est, & decretum, media illa electis efficaciter conferen-
di,

di, eosq; per illa infallibiliter ad aeternam beatitudinem perducendi.
atq; hac media sunt I. Christus Mediator 1. Pet. 1. 20. qui summum lo-
cum tenet, cui reliqua omnia media, ipsaq; adeo salus veluti innitun-
tur & inaedificantur (quo sensu etiam non immerito dicitur funda-
mentum electionis, quatenus scil. Electio sumitur pro ordinatione me-
diorum ad vitam aeternam tendentium, in quo electi sumus Eph. 1. 4.)
II. Vocatio scil. efficax & salutaris Rom. 8. 30. III. Fides Evangelii
Act. 13. 48. Tit. 1. 1. IV. Adoptio facta in Christo Eph. 1. 5. V. Iustifica-
tio & Sanctificatio Rom. 8. 30. Pet. 1. 3. Et deniq; VI. Perseverantia 1.
Pet. 1. 5. Verum haec omnia divinis literis contrariantur, sicut par-
tim superius est demonstratum, partim alibi demonstrabitur.

39. Talis etiam causa Electionis singularium personarum ad-
ducitur, quæ neutiquam veritate divina nititur. In Iudic. Prov.
p. 6. thesis (sensu Calviniano) orthodoxa statuitur. Causa Electionis
singularium personarum est liberrimum voluntatis Dei consilium ac
beneplacitum, quo solo in semetipso permotus absq; ullo fidei, obedi-
entiae, aut perseverantiae, tanquam cause, conditionis, aut bonae qualita-
tis, dignitatisq; ullius in homine praexistentis intuitu, huic pra illo
gratiam salutiferam in Christo, per Christum & propter Christum
conferre voluit; ac proinde haec Electio non ex illis conditionibus est
facta, sed ad illas, tanquam ad ejus fructus & effecta. Item pag. 217
Solum beneplacitum Dei est unica causa, quare Deus hunc pra illo ele-
gerit pag. 153. Causa Electionis singularium personarum est sola mise-
ricordia & amor, atq; eudonia voluntatis Dei, gratiaq; quæ nos sibi
acceptos facere voluit in dilecto Filio suo. Et Helvetii in Act. p. 541.
Cur hunc pra illo Deus reprobaverit, extra Dei eudoniam illam, causam
nullam admittimus: Quem enim vult, indurat. Idem de singu-
larium Electione iudicium esto. Hanc Electionis singularium
personarum causam absolutam si consideramus, ea neq; cum di-
vinis literis, neq; cum œconomia salutis conciliari potest.

40. Subjectum denique Electionis singularium personarum
in Synodo laudata sic describitur, ut veritatis coelestis jactura circa
negotium Electionis penitus fiat. Sic enim legimus in Iudic. pro-
vinc. p. 15. Electio facta est ex una & eadem massa, hoc est, ex corrupto
& misero humano genere. Hominem igitur in aeterna Electione con-
sidera-

sideravit Deus, non ut credentem, nec ut vocatum, nec ut justificatum, nec ut sanctificatum, nec ut regnitum; sed ut miserum peccatorem. Alibi nim. p 79. definiunt plane non esse necessarium objectum Electionis, ejusq; statum cognoscere: *An Deus, in eligendo homines consideraverit, ut lapsos, an etiam ut nondum lapsos, existimant non esse necessarium, ut definiatur, modo statuatur, Deum in eligendo considerasse omnes homines in pari statu, ita ut, qui electus est, non fuerit à Deo consideratus, vel ex se & merito suo, vel per gratiosam estimationem dignior altero, qui non est electus.* Hæc & alia sunt, quæ propter cœlestis veritatis studium in præsentis controversia desideramus: alias in sensu orthodoxo ipsam quæstionem de singularium personarum Electione approbamus.

41. Quod attinet *Maccovianam* tractationem, aliis potius, quam nobis videtur opposita: breviores igitur ducemus hic lineas Probat I. Rom. 9. 13. *Esau & Jacob Electi.* Ergo singula persona Conseq. quia eadem est ratio unius, qui eligitur, qua alterius. Verum l. d. non est sermo de Electione & reprobatione, sicut sæpius à Nostratibus est demonstratum. Deinde si *Genescos* historiam & *Malachie* prophetiam conferimus, magis in sensu colectivo pro posteris, integrisq; populis, quam pro ipsis individuis, *Jacobi, & Esavi* personis, hæc nomina posita esse videntur. Denique *Jacobum & Esavum* Electos vocat, cum tamen etiam ex h. l. communiter *Esavum* pro reprobo Reformati venditent.

42. II. *Luc 10, 20.* Nomina Electorum scripta sunt in cœlis: Ergo. III. *Apoc. 21, 27.* Nomina Electorum scripta sunt in cœlo. Ergo. Conseq. quia Metaphora hic desumpta est ab illis, qui scribunt nomina horum vel illorum in libro. Minor est in textu. Objectiones etiam, quas sibi format, aliis discutiendas relinquimus, præsertim cum pleraque, quæ circa hanc quæstionem occurrere possunt, magis nostram sententiam adstruere, quam destruere videantur. His igitur Disputationi præsentis sinem imponimus, Deoque glorioso, nostræ Electionis Autori, pro veritatis manifestatione devotas gratias persolvimus.

TANTUM!

Aug VI 50 (1)

ULB Halle 3
003 507 629



f

5b,

Retico ✓

VD 17







I. N. J.
DISPUTATIO ANTI-MACCOVIANA,
QVAE EST PRIOR
De
Prædestinatione,

QVAM
In Illustri Electorali, quæ VVITEBERGÆ
est, Academiâ,
PRAESIDE
Viro Admodum Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo,
DN. JOHANNES Deutschmann/
S.S. Theol. Licent. ejusdemq; P.P. Extraordin.
Facult. Philosoph. Adjunct. digniss.
Dn. Præceptore, Patrono, Hospite, studiorumq; suorum!
Promotore Optimo, Maximo,
publicæ sententiarum collationi subjecis

RESPONDENS
JOACHIMUS ERYTHRÆUS, Belâ-Hungarus
S.S. Theol. & Phil. Cult.
In Auditorio Majori ad diem Aug.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ, JOHANNIS HAKEN,
M. DC. LIX.

94

h. III. 2037